THESES EX UNIVERSA THEOLOGIA, QUAS IN CAESAREO-REGIA...

Vincenzo Penzo



THESES
EX
UNIVERSA THEOLOGIA,
QUAS
IN CAESAREO-REGIA
ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA
SCIENTIARUM
UNIVERSITATE VINDOBONENSI
PRO OBTINENDO
DOCTORIS IN SS. THEOLOGIA
GRADU ACADEMICO
PUBLICE DEFENDENDAS SUSCEPIT

PENZO VINCENTIUS,
ARCHI-DIOECESEOS VENETIARUM PRESBYTER, AC CAESAREO-REGII SUBLIMIORIS PRESBYTERORUM EDUCATIONIS INSTITUTI AD S. AUGUSTINUM VIENNAE MEMBRUM.

DIE II. JULII
MDCCCLXIII.

VINDOBONAE.
TYPIS CONGREGATIONIS MECHITHARISTICAE.

AMPLISSIMIS HONORIBUS

EMINENTISSIMI AC REVERENDISSIMI

DOMINI DOMINI

JOSEPHI ALOISII

TREVISANATO,

S. R. E. PRESBYTERI CARDINALIS,

S. C. R. A. MAJESTATIS A CONSILIIS INTIMIS, IMP. ORD. AUSTRIACI CORONAE FERREAE MAGNAE CRUCIS EQUITIS,
ET PRAELATI,
A SUPREMIS DIGNITATIBUS CORONAE REGNI LONGOBARDI VENETI CAPELLANI,
ABBATIS COMMENDATARII PERPETUI S. CYPRIANI DE MURIANO, PATRIARCHAE VENETIARUM, DALMATIAEQUE PRIMATIS, VENETARUM PROVINCIARUM METROPOLITAE

ETC. ETC. ETC.

PRAESULIS PIISSIMI,

PATRIS OPTIMI,

MAECENATIS BENEVOLENTISSIMI,

IN

ANIMI GRATISSIMI

NEC NON

PROFUNDISSIMAE VENERATIONIS

SIGNUM

FILIALI CUM DEVOTIONE

D. D. D.

Ex Historia Ecclesiastica.

1.

Jam primis Ecclesiae temporibus SS. Eucharistia interdum sub una tantum specie sumebatur.

2.

Narratio de Joanna Papissa in fabulis reponenda est.

3.

Ecclesiam medio aevo superstitioni favisse falso asseritur.

4.

Gregorius XII. canonice electus, et hinc verus Pontifex erat.

5.

Sic dictae scholae elementares seu nationales originem suam ab Ecclesia repetunt.

6.

Prohibitio librorum, fidei ac morum honestati perniciosorum, jam primis saeculis in Ecclesia viguit.

Ex Jure Canonico.

1.

Sic dicti Canones Apostolorum suppositítii sunt.

2.

Concordatum Austriacum vim pacti juris gentium habet.

3.

Jus Patronatus principaliter concessioni ex parte Ecclesiae innititur.

4.

Per adulterium alterutrius conjugum vinculum matrimonii non solvitur.

5.

Asserentes, consanguinitatem primi gradus lineae transversae valido matrimonio obstare vi juris divini naturalis, ad cap. 8. X. De divortiis. IV. 19. frustra provocant.

6.

Administratio bonorum ecclesiasticorum de jure soli Ecclesiae competit.

Ex Archaeologia Biblica.

1.

In Sacra Scriptura non desunt Symbola, maxime apud prophetas.

2.

Praeter libros sacros, quos Biblia vocamus, evincitur ipsâ Sacra Scriptura, alios extitisse libros, qui injuria temporum deperditi sunt.

3.

Synedrion Judaeorum sub Romanis poterat juxta leges Mosaicas sententiam mortis ferre in reum, sed non poterat eam executioni dare.

4.

Libellus repudii in Lege Mosaica non obstat doctrinae biblicae de indissolubilitate matrimonii.

5.

Transitus Hebraeorum per mare rubrum miraculo contigit.

6.

Sabbatum ante Moysem observatum erat.

Ex Introductione in libros ss. V. F.

1.

Verba Gen. 49, 10. continent locupletissimum de Christi adventu vaticinium.

2.

Judaeos fuisse vigiles integritatis librorum sanctorum ipsa Masora demonstrat.

3.

Prophetae biblici a gentilium vatibus toto genere disjunguntur.

4.

Nomina אֱלֹהִים et יְהוָה non indiscriminatim usurpantur.

5.

Origo Pentateuchi Samaritani cum origine gentis coincidit.

6.

Leges Pentateuchi de Paschate sibi non contradicunt.

Ex Hermeneutica Biblica.

1.

Poësis hebraea metrum non novit, sed parallelismum.

2.

In eruendo sensu s. Scripturae praeter alios nexus, opticus seu propheticus respiciatur.

3.

Analogia fidei summis curis indaganda.

4.

S. Hieronymus litterali interpretationi allegoriam junxit.

5.

Ut interpretatio sacrae Scripturae auxiliis Spiritus sancti in Ecclesia spirantis juvetur, legitimo ejusdem organo interpretem obsequi oportet.

6.

Omnis interpres biblicus sensu religioso-christiano, genuino tamen, imbutus sit, necesse est.

Ex Introductione in libros ss. N. F.

1.

Pericopa de muliere adultera (Joan. 7, 53. — 8, 1. — 11.) est authentica.

2.

Stella, quam viderant Magi in Oriente, fuit prodigiosa.

3.

Loca Math. 5, 32. — 19, 9. perperam allegantur contra absolutam matrimonii indissolubilitatem.

4.

Act. 2, 4. γλώσσαις λαλεῖν non potest nisi de modo miraculoso intelligi.

5.

Descriptio Luc. 2, 2. prius facta quam Cyrinus Syriae Praeses esset.

6.

Christus Dominus in ultima coena cum discipulis suis verum et legitimum Pascha manducavit.

E Theologia fundamentali.

1.

Pantheismus, quacumque appareat specie, rationi contrarius est.

2.

Dantur criteria, quibus revelatio divina ceu talis cognosci potest.

3.

Negata Traditione tota convellitur christiana revelatio.

4.

Sola Ecclesia catholica gaudet dote ad revelationem divinam integre et pure conservandam.

E Theologia Dogmatica.

1.

Aseitas est propria ratio, per quam Deus differt a creaturis.

2.

Verba Epistolae ad Rom. 5, 12. „ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον“ sunt intelligenda de peccato originali.

3.

Visio Dei intuitiva naturaliter est impossibilis.

4.

Sacramenta novae Legis nec plura nec pauciora sunt quam septem.

5.

Christus erat impeccabilis, et hoc non obstante tamen poterat mereri.

6.

Licitus atque utilis est cultus imaginum.

E Theologia Morali.

1.

Existit lex aeterna, a qua omnis vis legum temporalium pendet.

2.

Adplicatio legis, quae in falsa facti praesumptione fundatur, per se omni robore caret.

3.

Non datur ignorantia invincibilis circa prima principia juris naturalis, neque ordinarie circa conclusiones ex primis principiis proxime deductas.

4.

Licita in se, illicita nonnumquam ex circumstantiis fiunt.

5.

Doctrina Communismi est nefanda, ipsique juri naturae contraria.

6.

Consilia Evangelica, licet non ipsam perfectionis essentiam efficiant, perfectionis tamen media valde efficacia constituunt.

E Theologia Pastorali.

1.

Pastoris animarum est verbis movere, exemplis trahere.

2.

Praecepto divino mandatum est omnibus, quibus cura animarum commissa est, pro ovibus suis sacrificium offerre.

3.

In extirpandis superstitionibus Pastor animarum summam adhibeat cautelam et humanitatem.

4.

Animae a Deo sublimioribus gratiis instructae eximiam requirunt Parochi curam.

5.

Utilissime certae Evangeliorum Pericopae pro Dominicis et festivis diebus inde a summa antiquitate sunt determinatae.

6.

Centrum cultus catholici est Eucharistia.

